

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3493

Genre d'acte : autre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1249...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Enquête exécutée d'après le mandement de la reine à Falaise par Étienne de Porte, bailli de Rouen, sur les mouvances des fiefs de Philippe de Buisson.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 482, p. 81-82.

Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Inquisitio facta de mandato Domine Regine apud Falesiam per Stephanum de Porta, militem, ballivum Rothomagi, utrum Philippus de Buxon, quondam miles, tenebat aliquid in capite de ducatu Normandie, vel non, presentibus abbate sancti Ebulfi (sic) et priore Vallis Dei de ordine Chartrousie, quondam abbate sancti Ebulfi, decano sancti Sepulcri Cadomensis, Symone Cornuto, Adam Harano, militibus, castellanis Falesie et Cadomi.

Isti quorum nomina subsecuntur juraverunt: Guillelmus de Rupetra, miles ; Rogerus de Rupetra, miles ; Robertus de Alliaco, miles ; Guillelmus de Prunelaio, miles ; Guillelmus de Pelevilla, miles ; Robertus de Planta, miles ; magister Robertus de Buxon filius Osmundi ; Nicholaus Dumbrie, presbiter ; Robertus dictus Miles ; Ricardus de Lisores ; Bartholomeus Escancion ; Guillelmus dictus Parvus ; dominus de Fontaneto, miles ; Hugo de Menillo, miles ; Symon Cornutus, miles, castellanus Falesie ; Johannes de Montgomeri ; Thostanus Bassire, qui est de feodo ; Henricus Cortocie (?) ; Thostanus Henrici ; Radulfus le Mercier ; Sanxon de Vico ; Hugo Felart ; Robertus li Envoisiez ; Hugo Sale ; Rogerus de Planca ; Radulfus Terrici ; Injorranus de Petra fricta, presbiter.

Guillelmus, primus testis, deposuit quod aliquando vidit quod Philippus de Busson, miles, quondam, pater Roberti de Busson, militis, qui ambo decesserunt in itinere terre sancte, et qui Robertus dimisit heredes parvulos, non habebat terram quam teneret de ducatu, et habebat quemdam annatum, videlicet Omundum de Busson, militem, qui Osmundus tenebat quamdam terram sitam apud Fontes les Pins de ducatu, racione cujus erat domini Regis. Postea idem Osmundus, paupertate compulsus, venit ad dictum Philippum postnatum suum et vendidit ei dictum feodum quod tenebat apud Fontes les Pins de ducatu, et quando ballivus patrie audivit dictam vendicionem noluit eam sufferre ; immo cepit illam terram in manu domini Regis, dicens quod sic posset dominus Rex inde perdere custodiam suam, et dictam terram noluit reddere. Interim dicti Osmundus et Philippus venerunt coram domino Rege, et narraverunt ei dictam vendicionem. Et ibi dimisit dictus Osmundus dicto Philippo dictum feodum et antencionem ejus apud Cadonum, et tunc, dominus Rex inde dictum Philippum in hominem recepit et eidem reddidit dictam terram cum ejusdem pertinenciis et antencionem, et sic tenuit postea per totum cursum vite sue, quia dictus Robertus de Buisson nunquam habuit terram, racione patris sui, ipso vivente. Requisitus quomodo hec sciebat, dixit quod hec vidit et audivit dici a dictis Philippo et Roberto, quod, si aliquem ipsorum mori contingeret,

tota terra illorum esset in custodia domini Regis, nisi haberent heredes in etate, de quocumque tenerent, eo quod dictam terram de Fontibus tenebant de ducatu.

Omnes alii dixerunt idem per omnia de usu (sic) et auditu quod idem Guillelmus, excepto Symone Cornuto, qui deposuit quod illa audierat a multis. Adjecit etiam Robertus de Alliaco, miles, quod ille ballivus qui cepit terram illam in manu domini Regis fuit Johannes de Vineis. Guillelmus autem de Prunelaio, miles, adjecit, quod ipse vidit et scivit quod dictus Osmundus fecit homagium domino Regi Ludovico de terra illa quam tenebat de ducatu ad sex boissellos avene de bernagio, quam terram postea vendidit dicto Philippo coram domino Rege pro centum libris turonensium. Radulfus de Aceio, qui ultimo deposuit, dicit quod fuit armiger dicti Philippi in terra sancta, et erat quando fuit mortuus et pluries solvit ille duos boissellos avene pro bernagio de dicto feodo, et adjecit quod, mortuo illo Philippo, dominus Robertus filius ejus, qui post paululum obiit, voluit ire ad dominum Regem, causa faciendi eidem homagium de dicto feodo, set premaxima infirmitate non potuit et sic obiit.